
3 1761 09618351 2

Q. B. F. F. F. Q. S.

INCLVTAE VNIVERSITATI STVDIORVM

VINDOBONENSI

DENVO IAM SAECVLARIA SACRA PARANTI

DIEBVS I. II. III. MENSIS AVGVSTI CELEBRANDA

QVINQVE SAECVLA FELICITER PERACTA

CONGRATVLANTVR

ALTERA QVINQVE FELICIVS SEMPER PERAGENDA

AVGVRANTVR

VNIVERSITATIS LITTERARVM TVBINGENSIS

RECTOR ATQVE SENATVS

ADDITA EST ANAGLYPHI VATICANI EXPLICATIO

TVBINGAE MENSE IVLIO ANNI MDCCCLXV

FORMIS LVDOVICI FRIDERICI FVES

ANAGLYPHVM VATICANVM

EDIDIT ET EXPLICAVIT

ADOLFVS MICHAELIS
LITTERARVM ATQVE ARTIVM ANTIQVARVM PROFESSOR PVBL. ORD.

Saepenumero questi sunt rerum antiquarum amatores atque perscrutatores, quanta iactura artium litterarumque monumentorum facta sit priorum ecclesiae Christianae temporum siue intemperanti contra quaelibet paganarum superstitionum testimonia atque simulacra furore siue socordi omnium operum quae arte excellerent contemptu. neque inmerito hae querellae proferuntur. attamen ne iniquitatis arguamur quasi non contemplemur nisi alteram imaginis partem obumbratam et tristem, concedendum sane est earum quae hodieque extant antiquitatis reliquiarum magnam partem ecclesiasticorum medii aeui curis deberi. nihil dico de poetarum scriptorumque ueterum operibus, quorum quantum nunc haberemus, nisi a sedulis monachis iterum iterumque descripta exemplaria ad nos propagata essent? neque uero multo dissimilis titulorum antiquorum artiumque operum ratio est. Graeciam enim peragrans describendorum delineandorumue huius modi monumentorum causa simul atque urbem aliquam siue uicum introieris, ilico templa atque sacella petes oculisque diligenter perlustrabis: quorum parietibus fere infixa reperies siqua omnino illic locorum extant signa anaglypha tituli. quam quidem ueterem illius gentis consuetudinem esse, ut hoc uno exemplo defungar, e uenerando illo atque satis uetusto fano adparet quod Atheniensibus olim pro primaria aede erat, metropolis nomine notum, undique antiqui artificii marmoribus hic illic a Christianis crucis signo oblitteratis et tamquam sibi uindicatis ornatum seu potius extructum miroque et insolito adspectu contemplantium oculos animosque capiens atque delectans. en alia animo obuersatur imago sancti Charalampi sacelli prope Thespias in loco edito siti, quod elegantissimis anaglyphis sepulcralibus muro insertis splendidum Boeotiae meridionalem planitiem late prospicit, illius cui dicatum est tamquam τηλαυγὲς omen. rarius quidem nec tamen raro in Italia templa aliaque loca sancta proscriptarum superstitionum operibus artibusque receptacula extiterunt plerumque in usum sacrum aliquo

modo conuersis. e quo genere illud est quod iam paucis tractaturi sumus monumentum.

Ioannes igitur VII pontifex maximus ineunte saeculo octauo oratorium, quod sanctae Dei genetrici Mariae intra basilicam sancti Petri ineunti ad dextram extruxit, perpulchris quibusdam anaglyphis, quae ex aliquo aedificio primi fere secundiue post Christum natum saeculi eum sumpsisse probabile est, ornauit. quae anaglypha, postquam inde a Iulii papae secundi temporibus uetus illa basilica demoliri eaque quae hodie summum urbis aeternae decus est extrui coepta est, sedem mutare iussa post octo saecula Paulo V Burgesio pontifice maximo in eam cryptarum basilicae Vaticanae partem translata sunt, quae sanctae Mariae de porticu — *della bocciata* Itali adpellant — dicata est. ibi ut alia fragmenta (quae delineata inuenies apud Pistolesium in maximi operis *il Vaticano descritto* inscripti uol. II tab. 4) hic illic dispersa parietibus sunt adfixa, ita id quod omnium maximum est atque splendidissimum e regione celeberrimae sancti Petri statuae muro insertum extat paene integrum atque inlaesum. quod quamquam bis iam editum, non tamen magis, quam quae in aliqua nobilium Britannorum uilla artis opera delitescunt, publici iuris dici potest, cum uel a doctissimis hominibus ignorari uideatur. neque id mirum, quoniam altera delineatio a Dionysio inter sacrarum basilicae Vaticanae cryptarum monumenta, quae Romae anno MDCCLXXIII prodierunt, edita parum accurate multoque quam par erat minore modulo instituta est, altera in libro extat cuius usus propter ambitum magnumque pretium perpaucis pateat, apud Pistolesium operis modo laudati tabula 3. quam ob rem operae pretium nobis uisum est nouum idque multo melius nobilissimi illius ectypi exemplum, intercedentibus uiris amicissimis Wilhelmo Henzeno et Henrico Brunnio a Bossio Romano in nostrum usum confectum, proponere breuibus quibusdam adnotationibus inlustratum.

Videtis igitur tabulam marmoream altam metrorum Gallicorum 2.75, largam 0.47, simplici cymatio undique circumdatam. quo quae inclusa est tamquam area uberrimis acanthi palmitibus abundat uarie et eleganter ita dispositis, ut ex eadem radice copioso foliorum ornatu pullulantes modo largo ambitu utrimque recedentes maioribus argumentis campum relinquant, modo artius sinuati minoribus sigillis locum dent, modo utrimque ex ambitu redeuntes leuibus uinculis contineantur. conferre iuuat Vitruuii uerba quibus picturas parietum sui temporis apte describit (VII, 5): *surgentes ex radicibus cum uolutis coliculi teneri*

plures habentes in se sine ratione sigilla, non minus etiam ex coliculis flores dimidiata habentes ex se exeuntia sigilla alia humanis alia bestiarum capitibus. in quae *monstra potius quam ex rebus finitis imagines certas* licet morosius Vitruuius inuehatur, nos tamen non poterimus quin delectemur laudabili caelatoris arte, qua factum est ut, quamuis luxuriantibus foliis exornati atque obducti, satis perspicua tamen totius anaglyphi quinquepartita dispositio euaserit. harum partium summa media ima tam humanis figuris quas maiores clupei continent, quam quaternis circa sigillis minoribus eminent, cum secunda et quarta foliorum modo fructuumque ornatum exhibeant. quas singulas iam deinceps examinaturi initium faciemus ab eo argumento quod in ipso medio opere positum primarium locum sibi uindicare uidetur.

Est hoc signum mulieris pectore tenus effictum — quam protomen dicere consueuerunt — coma pomis hedera floribus redimita et in collum effusa. ueste ab umero dextro apta haec quidem pectoris pars obtegitur, cum sinistram mammam ueste defluente una cum collo lacertoque prorsus nudatam paruolo infanti praebeat mulier, quem laeuo bracchio sustinet. dextra pampinum gerit foliis uuisque satis uberem, cui ab altera parte, nequid uacui spatii remaneat, siue laurea siue oleagina uirgula respondet. uoltus mulieris paullulum reclini capite suspiciens (non despiciens qualis apud Piranesium effictus est) nescio quid lenis atque temperatae mollitiei spirat. similis uoltus cum eadem capitis inclinatione coniunctus haud raro inuenitur cum in paruolis quibusdam sigillis aeneis tum in clupeis phalerisque eiusmodi imaginibus ornatis; cuius rei exempla non nulla conlecta habes apud Ottonem Iahnium *die Lauersforter Phalerae* (Bonnae MDCCCLX) tab. 1. 3. p. 11 seqq. e quibus prae ceteris adferre iuuat clupeolum illud inter phaleras Asciburgienses repertum, quo feminae alicuius ad Bacchi thiasum pertinentis pars superior effícta est, et collo reclini et ueste alteram pectoris partem nudante imagini clupeatae, quam modo descripsimus, simillima (l. l. tab. 1, 8. *mon. ined. dell' inst.* uol. VI tab. 41, 4). quaerentes uero quaenam sit mulier nostro clupeo repraesentata non dubitabimus reicere Pistolesii opinionem, qui Latonam paruolum Apollinem sinu fouentem adspicere sibi uidetur, cui lauream uirgam aeque conuenire, atque querna frons — talem enim putat pampinum illum satis bene effictum — Iouem Apollinis patrem indicet. immo nihil certius est quam TELLVREM adgnoscendam esse, quippe cui singula omnia

optime conueniant. huius enim propriae sunt longae comae in collum effusae, corona crebris fructibus capiti inposita, uestis ab umero defluens; maximeque lactens puerulus deam decet κουροτρόφον, de qua post Starkium (de Tellure dea p. 19 seqq. 41 seqq.) nuper Friederichsius apud Gerhardum *arch. Zeitung* uol. XVII p. 1 seqq. egit. omnia illa signa ubertatis terrae (matrem siue genetricem Tellurem Romani non minus quam Floram matrem colebant) haud dissimili modo coniuncta uides in anaglypho quodam musei Florentini (*arch. Zeitung* uol. XXII tab. 189, 1), nisi quod puerorum qui gemini ibi effecti sunt alter non lactet sed mammam potius nondum prorsus nudatam adpetit, admodum similis pueri illius quem in celeberrima basi Puteolana in Tiberii Caesaris honorem facta Sardium simulacrum laeuo bracchio gestare praesenti mihi uidebatur, cum in delineatione a Iahnio publici iuris facta (*sächs. Berichte* a. MDCCCLI tab. 1) cornu potius teneat urbis copias atque diuitias significans.

Confirmatur haec quam proposuimus sigilli Vaticani explicatio minoribus illis quibus cingitur argumentis, quae ad quattuor anni tempora referenda esse adparet. audi Ouidium Phoebi solium claris uersibus describentem (metam. II, 26):

positae spatiis aequalibus Horae,
Verque nouum stabat cinctum florente corona,
stabat nuda Aestas et spicea serta gerebat,
stabat et Autumnus calcatis sordidus uuis,
et glacialis Hiems canos hirsuta capillos.

itaque superiorum clupeorum alter qui ad dextram est Ver seu potius VERNAM HORAM ostendit leuiter ut par est uestitam floribusque abunde ornatam, cum et corona qua caput cingitur florea sit et manus dextra flores teneat et calathus quem laeua tenet siue floribus siue frugum primitiis redundet. cui opposita est AESTAS prorsus nudata, ut apud poetam, spiceaque corona redimita; dextra item spicas gerit, sinistra falcem praegrandem, qualem eidem deae tributam cernis *mon. dell' inst. arch.* uol. VI tab. 49. inferior deinde clupeolorum ordo alterum Horarum par continet. a laeua AVTVMNALIS HORA adparet uestitu ipsius Telluris similis, dextra manu crines solutos pampinoque cinctos conponens, dum sinistra uiticulam tenet. huic propinqua HIEMS est uelata specie, qualis fere brumalis Horae imaginibus esse solet, cannam palustrem tam in capite quam bracchio dextro gerens, laeua pallae paullulum admota. quibus deabus omnibus quae attributa sunt ab artifice insignia cum nihil insoliti habeant, siquis ampliora

desideret ad ea quae hac de re nuper et Wieselerus et Eugenius Petersenus disputarunt (*ann. dell' inst. arch.* XXIV p. 216 seqq. XXXIII p. 204 seqq.) relegatos uolo. id tantum conmemorabo Tellurem Horis iusto ordine sese excipientibus ita cinctam esse, ut hae certum anni temporum decursum atque orbem referant, illa, quamquam Autumni utpote uberrimi temporis simillima, non tamen uernales flores aestiuaque poma respuat hederaque per totum annum uirenti omnium temporum se esse indicet.

Relicta iam media tabula ad sigillum imo loco positum transgressi largis acanthi foliis insistentem conspicimus Apollinem nulla ueste iuuenilem corporis pulchritudinem uelantem. crines tenui uitta in umeros pendenti coercentur, ut *diadematum* habeas deum, qualis a Leochare factus est (Plin. XXXIV, 79), idem fortasse qui Athenis ante templum Apollinis Patroi stabat (Paus. I, 3, 4). laeuo cubito tripodi innititur, Delphico ni mirum, cui serpens uarios in orbes sinuatus, ut fere fit, inhaeret. ut uero tripode deus uaticinationis dominus atque auctor indicatur, ita arcus quem laeua gerit ἐκηβόλου, uirga laurea quam pendenti dextra tenet καθαρσίου propria sunt. haud raro Apollinis signa hisce tribus rebus distinguuntur, tripode arcu laureo ramulo, quos coniunctos uides in ara musei a Pio VII Claramontano in aedibus Vaticanis conditi (*museo Chiaramonti* uol. I tab. 18), ad quam inlustrandam editores nummum quendam Perinthiorum adferunt in hunc fere modum descriptum: conspici Apollinem laeuo cubito in tripodem serpente circumuolutum incumbentem manuque lauream uirgam tenentem, qua aram iuxta se positam lustret. qui nummus ectypo nostro simillimus uidetur; neque ita multum differt argenteus nummus Metapontinorum, quem Combius (numi mus. Britann. tab. 3, 14) et Muellerus (*Denkm. d. alten Kunst* uol. II tab. 13, 147) exhibuerunt. mirum tamen est inter tot Apollinis statuas, quibus musea nostra abundant quarumque in utilissimo opere Claraciano (*mus. de sculpt.* uol. III a tab. 474 *B* usque ad tab. 496) exempla congesta uides, perpaucas esse quae dispositionem sigilli nostri paullo accuratius referant. qua quidem in re id tenendum est, longe plurima signa aut manca etiam nunc esse eisque partibus fere carere quae facilius franguntur (bracchia dico, crura, fulcra quibus inniti solent corpora) aut si quando integra uideantur plerumque recentiorum temporum artificibus fucatam hanc integritatem debere. his igitur monitis conferre licebit statuas Matthaeianas (Clarac. l. l. tab. 476, 912 *E*; 490, 954 *B*), Iustinianam (ib. tab. 487, 944), Pamphylianam (ib.

2

tab. 476 *D*, 946 *D*), Dresdenses (ib. tab. 492, 956; 494 *B*, 955 *A*), Blundellianam (ib. tab. 488, 946), Montefalconianam (486 *A*, 954 *E*), quibus omnibus eadem species restitui certe potest quam in anaglypho Vaticano deus prae se fert, quamquam alia quoque ratione eas suppleri posse conlata pictura Pompeiana (*mus. Borbon.* uol. X tab. 20. *Denkm. d. alten Kunst* uol. II tab. 12, 136) haud negauerim. omnino autem memorabile est omnia ista insignia in ectypo nostro Apollini attributa non ad musicam eius artem atque peritiam sed ad ethicam et sacram uaticinandi ulciscendi lustrandi uim pertinere. cui non repugnat gryps alatus atque auritus, 'aduncitate rostri fabulosus', aequalitatis causa tripodi oppositus. hic enim ut χρυσοφύλαξ, qualis Herodoto (IV, 13. 27) et Pausaniae (I, 24, 6) audit, aptissimus Delphici dei comes est πολυχρύσου (Callim. in Apoll. 34); hoc deinde Apollo uectus ab Hyperboreis ad sacra Pythia siue Delia redire ferebatur (quode conferas Welckerum *alte Denkm.* II p. 71 seqq.), neque raro simili ratione gryps et tripus una Apollinis imaginibus adiunguntur (ib. p. 74 n. 12). item GRYPIS dimidiati simulacra ex coliculis exeuntia uides in sigillis istis, quae superne Apollinis imagini inminent, eadem aequalitate disposita, atque in ima ectypi parte CORVOS, futurarum rerum diuinum ideoque Apollini sacrum animal, et CYCNVS, cui omnia fere cum grype similia sunt quique pariter deum ab Hyperboreis Delphos redeuntem uehere ferebatur, sibi oppositi sunt, ab altero alter ita auersus ut capite retorto inter se intueantur. itaque Apollinem cinctum uidemus, sicut supra Tellurem, quattuor sigillis argumento quam artissime cum ipso conexis atque coniunctis.

Adscendimus iam ad summam totius ectypi partem, in cuius clupeo maiore iterum APOLLO adparet, praeterquam quod crura paullo alia ratione disposita sunt cetera paene gemellus. simillimum huic simulacro σχῆμα aereum quoddam signum exhibet in museo Neapolitano adseruatum (*mus. Borbon.* uol. II tab. 23. Clarac. uol. III tab. 476 *D*, 948 *C*), eo tantum diuersum quod columellae innixus deus lyram laeua tenet, cum in anaglypho Vaticano ipsi citharae magnae bracchium inponat. quarum rationum utram olim secuta sit statua quaedam Greiana ceteroquin simillima (Clarac. tab. 476 *B*, 906 *D*), propter mutilatum bracchium sinistrum discerni iam non potest. ceterum monere iuuat prorsus eandem crurum dispositionem reperiri in pulcherrimo quodam necdum bene explicato Apollinis signo, cuius plurima extant exempla — Capitolina duo (mus. Capitol. uol. III tab. 15. Clarac. tab. 483, 928 *A*. *Denkm. d. alten Kunst* uol. II tab.

12, 131; Clarac. tab. 490, 954 *A*), Neapolitanum (Clarac. tab. 479, 918. Braun. ***Vorschule*** tab. 43), Florentina tria (quorum duo in museo, tertium in palatio uetere extant), Versaliense (Clarac. tab. 489, 948 *A*), Hopianum (ib. tab. 476 ***B***, 905 ***C***) —, cum in illo Apollinis simulacro cui sauroctono nomen est (exemplum habes ***Denkm. d. alten Kunst*** uol. I tab. 36, 147) laeuum crus dextro non antepositum sit sed paullulum postpositum (quocum conferas basin Atticam ib. uol. II, tab. 12, 130). qua disponendorum crurum uarietate id efficitur, ut in prioris generis signis quam perfectissima dei quies adpareat, in altero genere motus uel praeteritus uel inminens quamuis lenissime significetur.

Cithara in quam Apollo incumbit una cum plectro satis grandi quod dextra tenet musicum deum indicat, ut suppleri quodam modo hoce argumento quam paullo antea explicauimus imaginem adpareat:

τέχνῃ δ' ἀμφιλαφὴς οὔ τις τόσον ὅσσον Ἀπόλλων.
κεῖνος οἰστευτὴν ἔλαχ' ἀνέρα, κεῖνος ἀοιδόν·
Φοίβῳ γὰρ καὶ τόξον ἐπιτρέπεται καὶ ἀοιδή.
κείνου δὲ θριαὶ καὶ μάντιες.

(Callim. h. in Ap. 42). neque ulla re regnare deum in illa quoque arte clarius significari poterat, quam ut Marsyae, quem rudi tibiarum sono superbientem nobiliore citharae cantu superauerat, opponeretur. quod quidem plerumque ita factum uidemus ut deus sedens a uictoria requiescat (uide quae olim congessi exempla: ***ann. dell' inst.*** uol. XXX p. 343), qualem in foro Romano olim fuisse ***iuris peritum Apollinem*** (Iuuen. I, 128) probabile est; attamen stantis quoque in tali re Apollinis non nulla exempla reperiuntur. ut omittam Etruscae artis opus a Guattanio olim editum (***mon. ant. ined.*** a. MDCCLXXXV m. Febr. tab. 2), Apollinem altero cubito mensae innixum, dum Scytha Marsyam ad arborem religatum cute spoliaturus est, uas quoddam pictum exhibet quod Baro Neapolitanus possidet (conf. Mineruinii ***mon. di Barone*** tab. 16). magis etiam ad nostram rem facit elegans plectri manubriolum quod penes Gerhardum est, cui incisum uides Apollinem eius, quem anaglyphum Vaticanum exhibet, simillimum, e regione Marsyae flexis genibus supplicis adstantem (***arch. Zeitung*** uol. VIII tab. 18, 2—4. ***ann. dell' inst.*** uol. XXX tab. *N*, 3). in quo opere prorsus eadem ratione manum, quae plectrum tenet, contra Satyrum mouet Apollo, imperioso gestu tamquam fatalem illi superbiam exprobrans precibusque eius repugnans. nec multum spei superesse Marsyae adparet, qui horrida coma atque barba auribusque caprinis Satyrum se prodit.

nam tristis demisso capite aduersarii artem admiratus uictorem deum intuetur, altero bracchio pendente, altero pone tergum retorto. qua re ultro suspicaris significatam esse leniter ab artifice poenam, quae uictum secutura est. prope adest, ni mirum, pinus ad quam religatum fuisse Marsyam et fabulae ferebant (siue πίτυς fuit siue πεύκη: uide locos ueterum a Stephanio *compte rendu* a. MDCCCLXII p. 133 n. 1 conpositos; solus obloquitur Plinius XVI, 240 platanum nominans) et non pauca artis monumenta ostendunt: ectypa certe opera, quorum indicem olim conposui (*ann. dell' inst.* uol. XXX p. 325 seqq. 340 seq.), multo maiore ex parte (***ABDEKLM***, quibus addere licet fragmentum quoddam sarcophagi ex amphitheatro Campano Neapolin translatum) pinum similiter atque in anaglypho Vaticano effictam exhibent, cum alia alias arbores — oleam ilicem palmam — praetulerint. contra monumentum nostrum eo a relicuorum plerisque differt, quod Marsyam non suspensum ex arbore monstrat; immo ad illa artis opera propius accedit, in quibus eum manibus post tergum ligatis poenam manere cernimus (conferas praeter ea quae l. l. ***CMbcd*** litteris signaui haec: Agincourt. *Denkm. der Malerei* tab. 1, 18; *Denkm. d. alten Kunst* uol. II tab. 14, 151; Gerhard. *ant. Bildw.* tab. 27. *élite céramogr.* uol. II tab. 64; Mineruini. *mon. di Barone* tab. 16; *bullett. napol.* uol. II. p. 75 seqq.). itaque caelator perquam clementer tam cum deo uictore quam cum tibicine superato egisse putandus est, quod illum superbum quam crudelem monstrare maluit, huius miserum fatum gestu isto bracchiorum, tristi uoltu, propinqua arbore quam lenissime posset significasse satis habuit; nisi quod alterum Satyrum addidit adflicto uoltu inminens sodali supplicium indicantem. illum enim Ouidio teste (met. VI, 392),

illum ruricolae, siluarum numina, Fauni
et Satyri fratres et tunc quoque carus Olympus
et Nymphae flerunt, et quisquis montibus illis
lanigerosque greges armentaque bucera pauit.

modo ne cum Pistolesio Olympum hunc credas, quem numquam in Satyrorum numero habitum Satyrique specie repraesentatum esse satis constat. quid quod iste ne ab ea quidem suspitione abhorruit, ut Apollini Midam oppositum esse putaret cuius dulcitudinem cantus Nympha aliqua miraretur?

Non minus peruerse idem quattuor illas figuras quibus Apollo et Marsyas circumdantur ita ad hos pertinere statuit, ut superius earum par Parcas esse crederet, e quibus lacrimis indulgere alteram, alteram faces gerere, relicuas duas

et uim atque fortitudinem qua Apollo uicisset Midam Marsyam Pythonem — hunc enim misello isto oleae ramo cui deus insistit repraesentatum putat: *un serpe tenendo in bocca un ramo di alloro!* — et cantum quo idem excelluisset significare opinaretur. quibus deliramentis ineptius quicquam excogitari non posse quis neget? luce enim clarius est MVSAS illas esse, non aliter cum Apolline coniunctas atque Horas Telluri, grypas coruom cycnum Apollini Pythio additos uidimus. inferiore igitur ordine scaenicae Musae dimidiato corpore ex acanthi cauliculis exeunt suae quaeque artis propriam personam sublata manu gerens, a laeua THALIA nullo alio insigni conspicua, a dextra MELPOMENE paullo sublimior adspectu et claua insuper, ut recentioribus temporibus fere adsolebat, instructa. his in summi anaglyphi angulis, ubi similibus sigillis locus non sufficeret, additae sunt alterae duae paullo artius cum maiore cui inminent argumento conexae. EVTERPE enim quoniam tibiarum arti ipsa praeest Marsyae calamitate grauius conmota, ut par est, sublata dextra maerorem aut certe misericordiam significat; cui quarta Musa ita respondere uidetur ut et ipsa tam uniuersa dispositione quam capite manu subleuato acrius se certaminis exitu adfectam indicet. huic autem cum insignium quibus distinguatur nihil additum sit certum nomen inponere uix auderemus, nisi ipse ille quem descripsimus meditandi gestus POLYHYMNIAE nos admoneret, quam et clarissimae quaedam statuae (inter quas Berolinensem 'Lycomedi filiam' honoris causa nomino) et plurima anaglypha admodum simili specie cubito nixam effingere solent (praeter Archelai Prienensis tabulam Homericam conferas sarcophagos conpositos in Gerhardi ephemeridibus archaeologicis uol. I. p. 113 seqq.). id quidem iure mireris cur prae ceteris sororibus Polyhymnia Marsyae casum doleat; at cum hoc non minus in relicuas Musas omnes una excepta Euterpe cadat, nihil restat nisi ut statuamus artificem ei aequalitatis studio, quod in Thaliae Melpomenesque sigillis tamquam ipsa res ultro ferebat, hic quoque tantum dedisse ut Polyhymniam Euterpae et bracchio similiter sublato et uoltu aeque tristi quantum fieri posset adsimularet. cuius studii aliud exemplum infra cognoscemus.

Hi quos hucusque tractauimus tres clupei maiores, binis sigillorum paribus cincti, singulis clupeis non minoris ambitus alius ab alio segregantur, qui non humanis diuinisue figuris, sed solo foliorum fructuumque ornatu paucis intermixtis bestiolis distincti sunt. quod ornatus genus, ut suapte natura ab

acanthi palmitibus totum fere anaglyphi campum obducentibus minime abhorreat, ita artiore aliquo uinculo cum maioribus illis argumentis conexum sit oportet. itaque nihil miramur cum in ea parte, quae Telluris imagini et Apollini cum Marsya coniuncto interposita est, LAVRI ramum cernimus Apollini prae ceteris gratae, neque MVREM qui in summo sigillo nescio quid quod roderet repperit ad Smintheum Apollinem pertinere negabimus; quin etiam AVES istas quae inferne laurea folia rostris discerpere uidentur cornices siue coruos eidem deo sacros esse, caelatori forsitan dederis. difficilior uero oritur quaestio quales sint fructus illi cum lauro conpositi, quibus in ipsa natura uix quicquam extare quod satis accurate respondeat a uiris harum rerum peritissimis docemur. optio igitur datur, cum poma paullo maiora esse adpareat, siue Punica MALA siue Persica siue Cydonia siue quae hodie aurantia dicuntur, olim Medica a Persicis diuersa dicta uidentur, seu denique uolgaria mala adgnoscere malis. equidem hoc ultimum uerum puto, quoniam et foliorum pomorumque species a malis non nimis abhorret et Pythiis una cum laureis coronis μῆλα τῶν ἱερῶν τοῦ θεοῦ certaminis praemia fuisse constat (Lucian. Anach. 9 conl. C. F. Hermanno *gottesdienstl. Alterth.* § 50, 29). quaecumque uero poma elegeris, ad Apollinem ea pertinere cum propter locum quo collocata sunt per se pateat, tum ideo consentaneum est quia hunc deum per uniuersam rerum naturam inde ab ineunte uere usque ad autumnum regnare conpertum habemus, quam diu a solis ui fructus et fruges procreandi maturandique omnia pendent: nam ἥλιος Ἀπόλλων, ὁ δέ γ' Ἀπόλλων ἥλιος (Heraclit. alleg. Homer. 6). adpropinquante igitur uere (Theogn. 777. Callim. h. in Ap. 80) deus qui brumali tempore apud Hyperboreos fuerat reuertitur, secum adferens laetam segetum spem, cuius τὸ χρυσοῦν θέρος signum est. secuntur Maio mense Θαργήλια Apollini siue Soli Horisque sacrata (schol. Aristoph. eqq. 729. Plut. 1054), quibus quamquam frugum potius quam fructuum messis celebrabatur, ne tamen hos ab Apolline alienos credideris, cui et mala grata fuisse modo uiderimus et mense Octobri Pyanepsiis εἰρεσιώνη omni genere rerum a natura procreatarum referta dicari solita sit (Plut. Thes. 22. Eustath. ad Il. X 496); inter quae cum ἀκρόδρυα diserte nominantur (schol. Aristoph. l. l.), tum omnino

εἰρεσιώνη σῦκα φέρει καὶ πίονας ἄρτους
καὶ μέλι ἐν κοτύλῃ καὶ ἔλαιον ἀναψήσασθαι
καὶ κύλικ' εὔζωρον, ὡς ἂν μεθύουσα καθεύδῃ.

Ex hoc carmine cum uini quoque poculum Apollini oblatum esse discamus,

ne PAMPINI quidem HEDERAEQUE huic abiudicandi erunt, quibus clupeum qui infra autumnalem brumalemque Horam est refertum atque obductum uides. notissimum quidem est et hederam et uitem ab initio Baccho esse sacratas, uerum quemadmodum hic in hymno Homerico (26, 9) κισσῷ καὶ δάφνῃ πεπυκασμένος dicitur (conl. Tertull. de cor. 12), ita *apud Lacedaemonios in sacris quae Apollini celebrant Hyacinthia uocantes hedera coronantur Bacchico ritu* (Macrob. saturn. I, 18, 2 conl. Marciano Cap. I p. 5 Gr.), hederaque cingi et Musas et uates Apollini sacros quis nescit? quin ipsum Apollinem hedera redimitum pauca quaedam artis monumenta ostendunt (*Denkm. d. alten Kunst* I. tab. 43, 204; Welckeri *alte Denkm.* uol. I p. 155 n. 23). totum hunc locum qui est de Apollinis Liberique insignibus inter se conmutatis a Lobeckio primum indicatum (Aglaoph. uol. I p. 79 seq.) postquam pluribus exemplis inlustrauit Welckerus (l. l. p. 152 seqq.) nuper Stephanius uberius tractauit (*compte rendu* a. MDCCCLXI p. 58 seqq.), de ipsa praeclara pictura quam explicaturus erat mira sane proferens, quippe quam ad sacra Delphica Apollini Bacchoque communia pertinere anaglyphorumque, quibus trilatera illa musei Dresdensis basis ornata est, sagaciter a Boetttichero explicatorum (*das Grab des Dionysos.* Berol. MDCCCLVIII, conl. Chr. Peterseno *der delphische Festcyclus des Apollon und des Dionysos.* Hamb. MDCCCLIX) supplementum praebere exoptatissimum plane non perspiceret. ex quo igitur eo peruentum erat ut, quemadmodum Delphici templi fastigia alteri deo alterum dicata erant, ita omnino Libero aequa Delphorum pars atque Apollini esset (teste Plutarcho de EI apud Delphos 9): quasi iam nihil differret solis aestiuique ardoris deus ab eo qui hieme ibi cultus et e terrae sinu potius quam e caelo ubertatis soli auctor πάσης ὑγρᾶς φύσεως κύριος καὶ ἀρχηγὸς Pindaro audit (apud eundem Plutarchum de Is. et Osir. 35), utrumque deum unum eundemque habere coeperunt; cuius rei testes Macrobius saturn. I, 18, 6 duos uersus Aeschyli Euripidisque adfert, quorum ille

ὁ κισσεὺς Ἀπόλλων, ὁ Βακχεῖος, ὁ μάντις,

hic in Licymnio

δέσποτα φιλόδαφνε Βάκχε Παιὰν Ἄπολλον εὔλυρε

dixisse narratur. neque aliter Menander rhetor uol. IX p. 330 Walz. Διόνυσον inquit Θηβαῖοι, Δελφοὶ δὲ διπλῇ προσηγορίᾳ τιμῶσιν, Ἀπόλλωνα καὶ Διόνυσον λέγοντες. quae utriusque sacrorum et adeo numinis confusio aliunde etiam nota (conf. praeter Welckerum l. l. p. 155 de Attica Phigalia Chio disputantem Dionem Chrysost. 31 p. 570 R. ad Rhodios uerba facientem) effecit ut insignia quoque

utriusque saepissime permutarentur eorumque magna pars utrique communis haberetur. ex horum numero Stephanius et tripoda et grypem ceruom serpentem et hederam laurumque et tibias lyramque esse monuit. quibus omnibus perpensis non amplius dubitabimus tam pampinum hederamque, a quibus digressa est oratio, Apollini uindicare, quam SERPENTEM qui in eadem anaglyphi parte per folia repit ad Pythium deum eadem ratione referre, atque murem supra ad Smintheum pertinere diximus. itaque eo fere consilio quattuor illas plantas dispositas putamus, ut laurus malaque tamquam Apollinis maxime propria ab altera parte, ab altera pampinus hederaque illi cum Libero fratre communes coniunctae sint. quamquam paullo diuersa ratio excogitari potest, ut plantas quodammodo a singulis Horis pendere suspicémur. non inepte enim uitis Autumno, hedera semper uirens Hiemi, mala Aestati adpropinquata uideantur: ea modo dubitatio remanet quo iure Veri nouo laurus bacis abundans tribuatur, cum florem mittere laurum tempore uerno satis constet.

Restant denique eae figurae quae utrimque spatia inter acanthi cauliculos totiusque ectypi margines relicta explent. quarum non nullae haud dubie cum Apolline coniunctae sunt. LVPVS enim notissimum λυκείου Apollinis insigne est, neque minus notum est CERVOM huic deo cum Diana sorore communem esse. AQVILARVM quoque par, quod infra Thaliam Melpomenenque conspicitur, fieri potest ut ab Apolline non prorsus abhorreat, cum Delphicum omphalum duabus aquilis cinctum fuisse constet (conf. Vlrichs. ***Reisen und Forschungen in Griechenland*** uol. I p. 94 n. 65), quas Plutarchus (de def. orac. 1) cum cycnis Apollineis conponit utpote rerum futurarum et ipsas praescias. iuxta Apollinem deinde tripodi innixum PVEROS duos cernis, alatos ut uidetur, bacilla gerentes clauae similia, quibus faces significari suspiceris. quibus Cupidinibus propriam aliquam cum Pythio deo esse coniunctionem non crediderim; adsunt potius ubicumque hilaritati et luxuriae locus datur, qualem per uberem segetibus fructibusque terram regnare consentaneum est. neque alio modo explicandum uidetur VOLVCRVM genus per folia hic illic sparsum, quarum singulis certa nomina frustra quaesiueris. iuuat autem meminisse hymni illius quem Delphis in honorem Apollinis ab Hyperboreis redeuntis cantandum Alcaeum conposuisse cum alii tum Himerius auctor est (or. 14, 10): ἦν μὲν οὖν θέρος καὶ τοῦ θέρους τὸ μέσον αὐτό, ὅτε ἐξ Ὑπερβορέων Ἀλκαῖος ἄγει τὸν Ἀπόλλωνα, ὅθεν δὴ θ έ ρ ο υ ς ἐ κ λ ά μ π ο ν τ ο ς καὶ ἐπιδημοῦντος

'Απόλλωνος θερινόν τι καὶ ἡ λύρα περὶ τὸν θεὸν ἁβρύνεται· ᾄδουσι μὲν ἀηδόνες αὐτῷ, ὁποῖον εἰκὸς ᾆσαι παρ' Ἀλκαίῳ τὰς ὄρνιθας· ᾄδουσι δὲ καὶ χελιδόνες καὶ τέττιγες, οὐ τὴν ἑαυτῶν τύχην τὴν ἐν ἀνθρώποις ἀγγέλλουσαι, ἀλλὰ πάντα τὰ μέλη κατὰ θεοῦ φθεγγόμεναι κ. τ. λ. conferas si tanti est marmor inter Arelatensis theatri rudera effossum (*atlas de la statistique des Bouches-du-Rhône* tab. 14, 2), in quo Apollinem cernes cum cithara et tripode e cantu conquiescentem inter duas lauros quibus binae insident aues. non aliter deinde in anaglyphis una cum nostro repertis (Pistoles. *Vatic. descr.* uol. II tab. 4) magnam diuersissimorum animalium copiam inter folia tum ludentium tum inter se dimicantium tum a Cupidinibus exagitatorum admirari licet, unde summa illius operis uarietas atque uenustas uel nascitur uel augetur. simili denique consilio pictor iste cuius imaginem Manuel Philes mediocribus uersibus a Starkio primum editis (de Tellure dea p. 5) descripsit Tellurem numerosa animalium caterua cinctam repraesentauit:

ἴδοις δὲ τὸν μῦν πρὸς τροφὰς ἠπειγμένον ...
καὶ τὸ γλυκὺ δὲ τῆς τροφῆς τῶν ἰσχάδων
τὰ πτίλα δεσμεῖ τοῦ λαλοῦντος στρουθίου κ. τ. λ.

Singulis igitur omnibus anaglyphi partibus deinceps perlustratis superest ut de unjuerso opere breuiter sententiam nostram conplectamur et cui usui olim destinatum fuerit explicemus. et id quidem fore ut disputatione nostra effectum sit speramus, referenda omnia argumenta esse ad frugum fructuum animantium procreatricem rerum naturam, cui ut ab altera parte Tellus mater et Horae praesint, ipsius quasi naturae uices gerentes, ita e caelo Apollinem moderari, omnis illius ubertatis laetitiaeque propter aestiui potissimum solis uim auctorem atque summum dominum. quem a tali officio et beneficio minime alienum esse cum cuiuis mythologiae antiquae non prorsus rudi per se pateat, tum et supra significauimus et nunc paruolo quodam artis monumento magis etiam confirmabimus, quod a Starkio descriptum inuenimus (*Städteleben Kunst und Alterthum in Frankreich* p. 592). est haec ara marmorea in theatro Arelatensium reperta Apollinique dicata, cum et cycnis duobus ornata sit florum encarpa rostris tenentibus et duas palmas sertis pomis iunctas ostendat. itaque simili ratione atque Vaticanum ectypum haec ara omnem naturae ubertatem ad illum deum refert, quem non male Menander rhetor loco paullo antea adlato εἰς κύκλον τὰς ὥρας ἄγειν praedicat, quamquam ineptius ideo Apollinem Horum ab

Aegyptiis nuncupari subiungit. quod siquis quaerat cur non Libero potius caelator has partes tribuerit, quippe quem alias Horarum choro stipatum uideamus (*Denkm. d. alten Kunst* uol. II tab. 75, 965), non negabimus eodem iure hoc fieri potuisse, uerum ex eis quae paullo ante disputata sunt nihil referre adparebit hunc an illum deum hac dignitate ornes, neque nostrum est coniecturas ludere cur Apollinem fratri praetulerit operis auctor. id uero conmemorare e re erit apud Phlyenses Atticorum Apollini Διονυσοδότῳ (siue δαφνηφόρῳ Plut. Themist. 15, conl. Athen. X p. 424 *F*) Bacchoque ἀνθίῳ communia cum Tellure, μεγάλης θεοῦ nomine insigni, et cum Diana σελασφόρῳ Nymphisque Ismeniis fuisse sacra (Paus. I, 31, 4).


Quid uero si Pistolesio adstipulemur, qui anaglyphum nostrum olim pertinuisse ad templum Apollinis, quod in Vaticano fuisse basilicae sancti Petri proximum a rerum ecclesiasticarum scriptoribus conpluribus traditur (u. Beckeri *Handb. der röm. Alterth.* uol. I p. 662 n. 1434), admodum sane speciose suspicatur? cuius templi cum apud antiquiores scriptores numquam mentio fiat, suo iure Beckerus Apollinem more recentiorum temporum nominatum esse pro Sole inuicto Mithra uidetur statuere. neque tamen diffitendum est ipsius Mithrae in Vaticano culti nullum certum extare documentum; quamquam minime nego eum saepe coniunctum fuisse cum simillimis sacris Magnae Matris et Attidis (Preller *röm. Mythol.* p. 764), quorum templum, Phrygianum dictum, in Vaticano extitisse satis constat (conf. eundem *die Regionen der Stadt Rom* p. 59). uerum enimuero, ut fuerit aliquando in Vaticano sacer Mithrae locus, quamuis peregrina haec sacra eo tempore, quo anaglyphum nostrum factum uideri supra p. VI significauimus, hoc est primis post Christum natum saeculis, Romae recepta iam fuisse non ignoremus, nihil tamen huic operi cum istis sacris commune esse contendimus. sit sane Sol inuictus Mithras δημιουργὸς καὶ γενέσεως δεσπότης (Porphyr. de antro Nymph. 24) cum Apolline saepe confusus (Μίθραν σε Πέρσαι λέγουσιν: Menander l. l.), sit Attis tamquam μηνοτύραννος et *Pantelius* Apollinis similis: at quaecumque cum horum sacris coniuncta sunt artis monumenta et arte et argumento quam longissime distant ab anaglyphi nostri genuina et simplici elegantia Graeco caelo haud indigna Graecaque exemplaria ubique imitata.

Accedit altera ratio cur ne id quidem certo adfirmari posse uideatur, ad Apollinis aliquam aedem anaglyphum Vaticanum olim pertinuisse. quaerentibus enim cui usui fuisse haec tabula possit antepagmentum esse adparet, quo uel portae fenestraeue alicuius postis uel anta ornata fuerit. talibus antepagmentis


rarissimo singulis locum fuisse, immo alterum cui opponatur sibi quodque poscere cum ex ipso usu pateat, tum idem in hoc quoque antepagmentum cadere non sine probabilitate quadam ex ipso opere nobis uidemur conicere. non semel enim indicauimus summum, ne dicam anxium symmetriae studium, quo a caelatore binae figurae simillimae alteri altera oppositae sunt: memineris modo eorum quae de Polyhymnia et Euterpe, de duobus grypibus, de cycno coruoque disputata sunt. maxime uero sibi constat haec dispositionis aequalitas in Musarum scaenicarum Horarumque imaginibus. Thalia enim et Aestas et Pomona (quo nomine autumnalem Horam adpellare liceat) sinistrorsum, dextrorsum Melpomene et Flora (quod sit uernalis deae nomen) et Hiems spectant; illae dextrum bracchium, laeuum hae aliquantum tollunt; pendenti et paullulum flexo bracchio sinistro illae, hae dextro rem aliquam sibi quaeque propriam gerunt (nisi quod Thalia pedo caret, quod apte clauae tragicae Musae opponeretur). quam aequalitatem non fortuitam esse sed certo consilio adfectatam ultro adparet; nec tamen a re erit monere eandem prorsus simili ratione redire in phaleris istis Asciburgiensibus, ut Amori siue Baccho infanti puella corymbis exornata, Satyro Baccha respondeat (*mon. ined. dell' inst.* uol. VI tab. 41, 3=4. 5=6. Iahn. *die Lauersf. Phal.* tab. 1, 5=6. 7=8). quae si consideramus non poterit nos fugere Horarum Musarumque simillimam esse ipsius Telluris speciem, quippe quae et ipsa eandem utriusque bracchii dispositionem caputque pariter inclinatum ostendat. quid igitur si huic quoque signo alterum olim oppositum fuisse suspicemur similiter contrarium? quod quidem aliud fuisse uix potest nisi deae marinae simulacrum, non certae alicuius, Amphitritae siue Thetidis, sed eius quam Θάλασσαν Graeci nuncupant, Romani quo nomine adpellent non habent, ab Amphitrita aeque diuersae atque Tellus a Cerere differt (Preller. *Demeter u. Persephone* p. 30 seqq. conf. Ouid. fast. I, 671 seqq.). itaque euoluas quaeso annalium ab antiquariis Rhenanis editorum uolumen XXXVII, cuius tabulae 1 et 2 deae quam quaeris tibi exhibent aeream imaginem ita effictam ut Telluri Vaticanae eodem modo respondeat, quo Thaliae Melpomenen, Aestatem Florae, Pomonam Hiemi respondere uidimus. pendet enim dextrum bracchium, sinistra capiti admota est, uoltus dextrorsum suspicit. cuius similitudinis, quae anaglypho Romano cum signo Rhenano intercederet, tempestiue Conzius meus Halensis me admonuit. at obstat quod Ritschelius, qui sigillum illud edidit locupletique et docto commentario inlustrauit (l. c. p. 73 seqq. et maxime inde a p. 93), Leucotheam eo effictam esse tam certa ratione demon-

strasse sibi uisus est, ut omnem dubitationem tamquam ex inani quidlibet negandi cupidine profectam (*eine lediglich in der Luft schwebende Skepsis* p. 96) in antecessum reiceret atque damnaret. et potest sane fieri ut Leucothea Matris Matutae nomine una cum Portuno ab Italis culta (conf. Prellerum *röm. Mythol.* p. 285 seq.) hic ut maris suprema domina ipsius Θαλάσσης uices gerens repraesentata sit; uerum nequid dissimulem, paullo cupidius Ritschelius ἀπὸ τοῦ κρηδέμνου τὴν Ἰνώ — uerba sunt Clementis Alexandrini protrept. p. 50 Pott. — adgnouisse uidetur. nam quod duas rationes quibus opinionem suam firmaret attulit, flebilem tristemque uoltum et ricinium siue κρήδεμνον, ille non modo omnibus dis deabusque marinis communis est, sed inde a Scopae Praxitelisque temporibus multo latius patens per uniuersam fere sculpturam et statuariam regnat, idemque Vaticanae Telluris imagini proprius est; ricinium uero quod creditur nil est nisi palla ab occipite defluens, quae nequaquam soli Leucotheae conuenit, sed Thalassae eodem iure datur atque Oceanus uelo a ceteris dis marinis distinguitur (Clarac. *mus. de sculpt.* uol. IV tab. 749 *B,* 1801 *A. B. C*). recte quidem Ritschelius quid quaeramus in Leucotheae imagine perspexit, dum haec scribit (p. 96): *die Hand ist wie im Begriff den Schleier vom Haupte zu ziehen, um ihn seiner Bestimmung und dem hohen Beruf der Göttin gemäss als Schutzmittel in Meeresnoth zu verwenden;* sed idem paullo post (p. 97) ait: *dabei ist die Bewegung so leicht und gleichsam nur vorbereitend wie möglich, indem nur Daumen und Zeigefinger den Schleier leise fassen, der kleine Finger dabei noch ruhig an das Lockenhaar gelegt und die beiden mittleren als entbehrlich für die Lüftung des zarten Gewebes ganz eingeschlagen sind,* quibuscum conueniunt quae et paullo antea et mox p. 101 de coepto tantummodo manus ricinium detracturae gestu exponit. uerum hoc ipsum, detracturam cum maxime esse deam pallam digitis leniter prehensam, equidem nego, quoniam ubicumque aliquam rem alicunde detrahendam pollice et indice prehensurus es, digitos alterum alteri admoueas necesse est; id quod dea illa nequaquam facit, quae subleuet potius paullulum digitis caput, prorsus simili ratione atque in anaglyphis non nullis Paridem amoris plenum in manum leuiter incumbentem uidemus (cf. Ouerbeckii *Gall. heroischer Bildw.* uol. I tab. 11, 12. 12, 1). itaque bene Ritschelius cauteque uerbis priore loco adlatis 'tamquam' illud addidit (*die Hand ist w i e im Begriff*) et motum uel modo coeptum uel q u a s i ipsam detrahendi actionem p r a e p a r a n t e m (*so leicht und g l e i c h s a m nur v o r b e r e i t e n d wie möglich*) dixit: rectius dixisset motum illum omnino coeptum non esse neque ullum

certum indicium adparere cur eum cum maxime praeparari credamus. neque enim quod tantum in laeua pallae parte rugae existunt, cum dextra eis careat, minus bene explicatur, ubi caput digitis innixum putamus quam si Ritschelianam rationem sequaris. iam uero si dea ista marina pallam omnino non prehendit, nedum detractura sit, nihil est cur Leucotheam eam credamus; immo e mira similitudine qua hoc sigillum cum Vaticana Telluris imagine coniunctum est, iure nostro efficere nobis uidemur, referendum illud esse ad Θάλασσαν siue ad ipsum mare deae speciem indutum. ut igitur fieri potest ut aliquando reperiatur aereum signum Telluris nostrae simillimum — ueluti phalerae unius Asciburgiensis duo alia exempla extant, alterum aereum, amethysto inscalptum alterum (conf. O. Iahnium l. l. p. 11) —, ita non inprobabilis suspitio nascitur antepagmento quod hodie solum remanet alterum olim oppositum fuisse marinae deae imagine ad exemplum sigilli Rhenani efficta pariterque in medio conlocata conspicuom. in quo opere eas partes quae in Vaticana tabula Apollini datae sunt Neptuno tributas fuisse probabile est, neque defuisse crediderim *Nereides supra delphinos et cete aut hippocampos sedentes, item Tritones chorumque Phorci et pistrices ac multa alia marina* (Plin. XXXVI, 26), quae Horis et Musis et sacris Apollini animalibus apte responderint; ut adpareat cur inter insignia Apollinis delphinum non reperiamus aptius cum marinis istis rebus conpositum. quamquam hoc eam quoque excusationem habet, quod Apollo Delphinius ab Apolline terrae ubertatis auctore alienior est. — quae omnia si recte disputata sunt, adparet quo iure adfirmari posse negauerimus anaglyphum Vaticanum ex Apollinis aliqua aede a Ioanne VII papa, siue quis alius primus suo usui adcommodauit, esse desumptum.







H. Schen.. Lith. Anst. v. Halle